



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Quartum

**González Téllez, Emanuel  
Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput III. Urbanus III. (a) Episcopo Florentino.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74533](#)

## C A P U T III.

Urbanus III. (a) Episcopo Florentino.

**L**itteras fraternitatis tuæ debitâ benignitate suscepimus, quibus certiores de sinceritate tua fidei, & devotionis effecti, ad honorem, & commodum tuum abundantius provocamur. Verum quia postulasti, utrum si postquam (b) sponsalia inter aliquas legitimas personas contracta fuerint, antequam viro mulier traducatur, alter eorum leproœ morbum incurrat, alius ad consummandam copulam maritalem compelli debeat, vel se ad secunda vota transferre: tuæ sollicitudini respondemus, quod ad accipiemad eam cogi non debet, cum inter eos matrimonium non fuerit consummatum.

## N O T Æ.

1. (a) **Florentino.**] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc titulo cap. final. & post Concil. Later. p. 50. cap. 63. Julio videlicet. De Ecclesia Florent. plura adduxi inc. 31. de elect.
2. (b) **Sponsalia.**] De futuro, adjecit Raymundus, ut tolleret ingentem difficultatem, quam statim expendemus.
3. (c) **Consummatum.**] Post hæc verba in d. cap. 63. Concil. Lateran. levigantur verba textus in cap. de illis, de divorciis, cap. de uxore 7. de sepultur. qui textus ad eandem Decretalem spectant.

## C O M M E N T A R I U M.

4. **Conclusio** **E**x his tribus decisionibus sequens communis traditur, & probatur assertio: *Lepra superveniens dissolvit sponsalia de futuro, non vero matrimonium, immo conjuges tenentur simul coabitare, debitumque sibi invicem reddere.* Probant eam textus in cap. si uxorem, cap. omnes, cap. bi qui 32. q. 7. c. cap. quemadmodum, §. quod si post, de iure jur. cap. ex parte 14. de convers. conjug. Illustrant Sanchez lib. 9. de matrim. diff. 24. Basil. eod. tract. lib. 10. cap. 14. Gibalinus de clausur. disquisit. 1. cap. 6. §. 5. Paulus Zacchias lib. 2. q. medico-legal. lib. 2. tit. 3. & consil. 36. Petrus Gregorius lib. 3. partit. tit. 20. cap. 5. & in cap. 1. de spons. num. 51. & in cap. 2. eod. tit. n. 12. Cujac. & Canifius in praesenti.

5. **Impugnat** **assertio.** Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertione ita insurgo: Leprosi ab omni prouersus humano consortio arcentur, adeò ut extra civitatem projiciantur: unde Job, quia lepræ percutitus fuit, cap. 9. Job. vers. 31. extra civitatem ejectus in sterquilinio fuit, cum id servarent Idumæi ex patro more, quod deinde divinâ lege accepterunt Judæi, ut testatur D. Chrysostomus homil. 4. in Job: adeoque leprosi arcebantur à communione cæterorum, ut ne quis incautus in illos inciderit, jusserrit Deus certa in vestimentis signa habere, ut ita dignoscerentur, iuxta illud Job. d. vers. 31. *Sordibus intinges me, & abominabuntur vestimenta mea.* Et primis Ecclesiæ scæculis à communione hominum consortio extra urbes segregabantur. Concil. Lugdun. 2. can. 6. & peculiariis Ecclesia illis assignabatur, cap. 2. de Ecclesiæ adiutor. ubi probavi; nec cum cæteris fidelibus orabant, sed inter energumenos, & excommunicatos referebantur, can. 17. Concil. Ancyran.: unde licet adeò stricta sit obligatio clausura mo-

nialium, tamen ob lepram supervenientem licet illis à claustru exire. Pius V. dicta suâ constitutione, quam explicant Michael Sotus, & Gibalnus ubi suprà. Igitur cum hoc contagii periculo non est cogenda conjux cum conjugi leproso prohibitare, illique debitum reddere; sed potius matrimonium dirimendum. Accedit, nam matrimonium ratum quod vinculum parum diffat à consummato, ut probavi in cap. ex publico, de convers. conjug. Sed matrimonium ratum dissolvitur per lepram supervenientem, cap. final. hoc tit. ibi: *Cum nondum inter eos matrimonium fuerit consummatum. Ex quibus deducitur matrimonium ratum inter eos celebratum fuisse: igitur & similiter consummatum dirimetur ob lepram supervenientem.*

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præfens assertio, pro eius expositione sciendum est, affectus cutaneos varios recenserit, ut impingo, quæ à Græcis dicitur λεπρὰ, à Latinis serpigo; & hoc præcipue, quando transit in una parte in aliam, à serpendo: etiam vitiligo, quæ præcipue in facie oritur, & nihil aliud est, quam malus habitus ipsius, quod Hispanè solet appellari, panno; & iste affectus præcipue nascitur in cute; appellatur ab Arabibus Morpheus, & aliquando hic affectus carnem attingit, & tunc dicitur à Græcis λίθινη, sive ἀλφός, sive alba, sive nigra, secundum naturam humoris; in capite et jam in modum scabiei datur cum mutatione coloris, & dicitur tinea. His affectibus confonus est aliis, qui lepra communiter dicitur, cuius materiam tandem esse cum materia scabiei ex Oribe tradunt Fracastorius lib. de contagio, & Mercurialis lib. de affectibus cutaneis. Lepra ita communiter diffinitur, Est asperitas cutis cum pruritu, & corporis colligatione, ex humore melancholico ortua, depascens profundas cutis partes, inßar squammarum piscium ex se mittens. Aëtius lib. 14. cap. 134. Vocatur à Græcis ἐλεφατίσιο, propter magnitudinem & diuturnitatem affectus, & propter cutis asperitatem; nam sicut in elephantibus est asperitas cutis, ita in laborantibus lepra. Similiter appellatur morbus Leoninus, quia in superciliis fit tumor laxus ad similitudinem superciliæ cadentis in faciem Leonis, quia in illo propter nimiam adustionem bilis sit atra. Quando lepra est cum pruritu, & asperitate, & squamis, est lepra simplex; quando vero fit cum majori pruritu, & squamis durioribus, causans profundiora ulcera, tunc est media,

& quasi alterius generis : si vero adhuc magis perseveret, cum in diuturnitate, tum quia putredo putredini supervenientis deterius contingit, tunc fit lepra quasi alterius generis ; & est valde gravis, & fœda ; quod facilè cognoscitur ex signis reperiatis in patientibus lepram ; nam color faciei, & totius corporis immuratur, resimilatur nasus, labia sunt crassiora, intumescit frons cum quibusdam eminentiis tuberosis, difficultas respiracionis, vox rauca, & humor ita est acer, ut corrodat cartilagini & ossa ; deinde capilli, anhelitus fœctus : provenit hic morbus ab humore atrabilario, & veneno, qui fit ex sanguine crasso & fœculo, & ex humore bilioso adulto ; & tunc lepra est magis mitis, quia sit sine ulceribus, unde lepra elephantias nihil aliud est quam tumor universalis cancerosus, & hæc infirmitas est contagiosa, non solum per contactum, sed ad distans, quia somitem relinquit, ideo concubitus valde periculosis, & præter hoc periculum est affectus valde chronicus, squallidus ; & ita relegantur a commercio leprosi. Cornel. Celsus lib. 3. c. 25. Serenus Sammonicus ibi.

*Est elephas morbus tristi quoque nomine dirus,*

*Non solum turpans infandis ora pupillis,*

*Sed cito præcipians funesto fata veneno,*

Paulus Zacchias tom. 1. q. Medicolegal. lib. 7. tit. 3. Plura de lepra & leprosi. Philippus Camerarius, cent. 2. horar. successiv. cap. 74. Beyerlinck in theatro vita humanae tom. 4. verbo *Lepra*.

His suppositis ratio præsentis assertionis ex eo provenit, nam cum quilibet infirmitas supervenientis, etiam furoris, non dirimat matrimonium, cap. hi, cum sequenti. 32. quest. 7. leg. patre, ff. de his qui sunt sui, l. oratione, §. ult. ff. de nuptiis. ideo lepra supervenientis non dissolvit matrimonium : facit ultra individuum vita consuetudinem ratio adducta ab Ulpiano in leg. si cum datur 12. §. si maritus, ff. soluto matrimonio, ibi : *Quid enim tam humanum est, quam fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse.* Uxor enim est sociæ omnifortunæ bonæ & malæ, l. 1. ff. deritum nupt. l. 1. ff. rerum amot. & sicut felicitas mariti auget felicitatem, & honorem uxoris, l. si libertam 28. C. de nuptiis. ita & particeps est infortuniorum viri. Lucanus lib. 2.

*Non me letorum sociam, rebusque secundis*

*Accipis : incuras venio, partemque laborum.*

Tacitus de moribus German. ibi : *Ne se mulier extra viri ritum cogitationes, extrajisque bellorum causas putet, ipsis incipientibus matrimonio auspicias admonetur venire laborum, periculorumq; sociam.* Ideo in leg. I. C. de repudiis, ejus mulieris propositum laudatur, que propter casum adversum, in quem maritus incidit, non mutat uxoris affectionem. Celebre & dignum memoriam est, quod refert Justinus lib. 32. de uxore Agathocles Regis Sicilie, quæ cum morituro marito in Aegyptum remitteretur, ægræ ab eo divulsa dicebat, nubendo ne non prospera tantum, sed omnis fortuna iniisse societatem. Extat exemplum elegans conjugalis fidei in similibus incommodis, sed quod Christiana religio imitari non permittit, apud Plinium lib. 6. epist. 24. Illustrant Petrus Gregorius in cap. 1. de sponsis. num. 51. Valenzuela consil. 31. num. 4. Arniseus de jure connub. c. 6. sect. 9. Rechè ergo in præsenti docetur, ob lepram supervenientem, vel aliam infirmitatem.

D.D. Gonzal. in Decretal. Tom. IV.

ten non dissolvit matrimonium, nec quoad vinculum, nec quoad thorum; immò conjugem latum teneri leproso reddere debitum, & cum illo cohabitare ; si autem sponsalia tantum de futuro fuerint celebrata, quia in eis non adest ratio indissolubilitatis, ut in matrimonio, ideo sponsalia ob lepram, seu fœditatem sponsi supervenientem dissolvuntur, ut probavi in c. de sponsis. multa enim matrimonium contrahendum impediunt quæ non dirimunt contractum, c. quemadmodum 25. de jure jur. sic apud Paulum lib. 2. sentent. tit. 19. patria potestas in impedimento est, quo minus nuptia legitima sint, quas filius familias sine consenti patris contraxit; contractæ tamen sustinentur contemplatione publicæ honestatis. Posterioribus quoque constitutionibus inductum est, ne deportatio, vel aquæ & ignis interdictio, aut in metallum damnatio matrimonium rescinderent, cum contrahendum prohiberent, L. res uxoris 24. C. de donat. inter. novell. 22. fufimam.

Nec obstat dubitandi ratio ita addacta, cui facile respondetur ex supra traditis lepræ differentiis ; nam si lepra sit tinea vel morbus comitalis, quam malam scabiem vocat Horatius in arte poetica :

*Vi mala quem scabies, aut morbus Regius urget;* matrimonium non dissolvitur, nec quoad thorum, quia ex ea non ita gravis fœditas datur, aut infectio timetur : si autem lepra sit omnium de terrima, elephantiasis videlicet, qua totum corpus, immò etiam ipsa ossa vitiantur, ut ait Cornelius Celsus lib. 3. c. 25. quæ castratione impeditur, c. ex parte, de corp. viriatis, cum continat morbum ingrauecentem, fœtidum, & contagiosum, præbet causam divortio quoad thorum, ex adductis probitandi ratione. Textus vero in c. 1. & 2. hoc tit. accipendi lunt de priore lepræ specie, non ita contagiosa, aut fœtida. Difficilius est, quod expendebamus in c. final. hoc tit. pro cuius solutione dicendum est, sponsalia de futuro dissolvit per lepram supervenientem, c. quemadmodum de jure jur. non vero sponsalia de præsenti, quæ cum firma sint, & indissolubilia ratione sacramenti, non possunt dissolvi per supervenientem lepram. Et licet textus in d. c. final. satis dubius eset in prima collectione, & ideo ambigeretur, an de sponsalibus de futuro, vel de præsenti in eo ageretur; Raymundus, ut omnem dubitationis cautam toleret, forsan ex Gregorii IV autoritate adjecta ea verba, Sponsalia de futuro ; & ita cognoscitur Urbanum III. non de sponsalibus de præsenti, quæ faciunt verum matrimonium, sed de sponsalibus de futuro sensisse.

Sed supra traditis valde opponitur textus in c. quod proposuit, 32. 9. 7. ubi consultus Gregorius Exponitur à Bonifacio, utrum viro, cuius uxor propter infirmitatem debitus reddere nequibat, liceret le. 32. Q. 9. cundum matrimonium celebrare : respondit, bonum esse, si sic permaneat ; si autem noluerit, posse aliam uxorem accipere: ergo propter infirmitatem supervenientem, tam quoad thorum, quam quoad vinculum, matrimonium dissolvitur, & per consequens non recte in præsenti docetur, per lepram supervenientem conjugi non dissolvit matrimonium. Agnovit difficultatem Gratianus in cap. cum novella, §. quarto, ead. caus. & quest. & docet Gregorium in eo textus specialiter indulisse Anglicum noviter ad fidem conversis, ut ob gravem infirmitatem uxor possent cum alia matrimonium contrahere. Sed illum meritè reprehendit

N

Glossa

Glossa in d.c. quod, verbo Nubat, quæ textum illum accipit de sponsa de præsenti nondum cognita, & per consequens de matrimonio rato tantum, quod dissolvi potuit Pontificis auctoritate. Glos-  
sam sequitur Basil. lib. 7. de matrim. c. 52. qui docet, quod licet auctoritate Episcopi simile matrimonium dissolvi nequeat, quia cum olim ambigatur, an sicut sponsalia de futuro, ita & matrimonium ratum per supervenientem infirmitatem dissolvetur, in Concil. Aurelian. can. II. ita cau-  
tum fuit: *Matrimonia contracta, infirmitate acce-  
dente, nullâ voluntatis contrarietate solvantur; ta-  
men Pontifex potest hujusmodi matrimonium dis-  
solvere.* Sed hanc Glossam sententiam refellit  
P. Gregorius in c. i. de spons. n. 27. ex eo, quia sponsa de præsenti habetur ut vera uxor, quæ relin-  
qui, alia superinducta non debet, cap. penult. de  
spons. c. I. de sponsa duor. Quare his omissis ve-  
rius dicendum est, Gregorium in d. c. quod propon-  
sui, agere de muliere, quæ inventa est ita arcta,  
& inutilis matrimonio, ut cognosci à viro non  
possit propter aegritudinem, quam ignorabat ma-  
ritus tempore, quo matrimonium contraxit, quia  
eo casu matrimonium nullum est, c. i. de frigidis  
& malef. ubi dicemus. Quo modo etiam accipi-  
endus est Stephanus Papa II. in responsis datis cum  
esset in Carissimo villa, relatis tom. 17. Regia edi-  
tionis, ubi c. 2. ita ait: *Si quis se in coniugio copula-  
verit, & uniuersum contigerit ut debitum reddere non  
possit, non liceat eos separare, nec pro alia infir-  
mitate, excepto si demonis infirmitas, aut lepra macula  
supervenerit.* Ceterum si ab his duabus infirmitati-  
bus liberi fuerint, invicem conjuncti unus alteri ser-  
vitium exhibeat. Et can. 9. ibi: *Si famus vir leprosam  
duxerit uxorem, & postmodum ei superveniat lepra,  
postposita negligentia tales separantur, ne concepti*

*filii lepra macula polluantur.* Si autem infirmitas illa superveniret matrimonio jam consummato, nullo modo posset dissolvi, c. si uxorem 32. q. 7. ita textum illum acceperunt Bellarminus lib. 4. de R. Pontifice, c. 13. Balboa in cap. gaudemus, de di-  
vorciis, P. Gregorius in d. c. i. de sponsal. n. 27. quo  
casu accipi debet Canon 16. Concilii Compen-  
dienas, ibi: *Si vir leprosus mulierem habeat sa-  
nam, si vult ei donare conveat, ut accipiat vi-  
rum, ipsa feminam, si vult, accipiat, similiter & vir.*

Ex supradictis expendoris est canon S. Ti-  
moth. relatus à Theodoro Balsamone fol. 1066. Exponitur  
in hæc verba: *Si alicujus uxor spiritu corripitur,  
ut ferreos etiam compedes, & manicas gellet, vir au-  
tem ducat, non possum contunere, & velit aliam acci-  
pere, debet, ne aliam accipere, an non?* Resp. In hac  
re quidem adulterium intercedit, nec invenio quid  
decare respondeam; spirituali tamen sententia non  
debet. In quibus verbis expressè docet Sanctus,  
comitti adulterium ab eo conjugi, qui ob in-  
firmitatem alterius secundas nuptias contraxit.  
Difficile tamen est, quod dicit Sanctus, tantum ex  
spirituali sententia cum nubere non debere. Sed  
respondendum est, Sanctum Timotheum respe-  
xisti ad constitutionem Leonis Imperatoris in  
Novel. III. & 112. ubi permititur marito post  
tres annos dimittere uxorem perpetuam infir-  
mam laborantem, aliamque accipere. Similiter & uxo-  
ri post quinque annos. Harmenopulus lib. 4.  
Promptuarii. Unde S. Timotheus non secundum  
iustus civiles, & laiculares, cum juxta illud eo casu  
divortium permetteretur; sed juxta sacros Ca-  
nones recte Sanctus dixit ex spirituali sententia,  
idec juxta sacros canones, & Ecclesiæ leges, ad-  
ulterium committi: docuit Theodorus Balsa-  
mon in notis ad ipsum canonem.

10.  
locus Timo-  
thei.

## TITULUS IX.

### De conjugio servorum, vel disparis conditionis.

#### CAPUT I.

Adrianus Papa (a) Salzburgensi Archiepiscopo.

**D**IGNUM est, & à rationis tramite non discordat, quod ea quæ dubietatis in se videntur scrupulum retinere, ad Apostolicæ Sedis judicium referantur, ut inde Christi fideles in dubiis certitudinem se gaudent invenire, unde noscuntur magisterium fidei suscepisse. Tua vero fraternitas de ser-  
vorum coniugiis, quæ invitis & contradicentibus dominis contrahuntur, quid fieri debet, Apostolari nostro, si bene meminimus, requisiuit. Super quotib[us] du-  
ximus taliter respondendum. Sanè juxta verbum Apostoli, prout tua discretio cognoscit, in Christo IESU neque liber est, neque servus, qui à sacramentis Ecclesiæ sit remo-  
vendus. Ita quoque nec inter seruos matrimonia debent ullenatus prohiberi. Et si dominis contradicentibus, & invitisi contrafacta fuerint, nullâ ratione sunt propter hoc ecclesiastico judicio dissolvenda. Debita tamen & conservata servitia non propter hoc sunt minùs propriis dominis exhibenda.

NOTÆ.